

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

EVANGELIUM. LUC. II.

In illo tempore, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

EVANGELIUM. LUC. II.

In illo tempore, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, et de iis, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

EVANGELIUM. JOAN. I.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

167

CONCIONES.

- I. Quantum hodie mundo gaudium allatum.
- II. Tituli Salvatoris nati.
- III. De triplici nativitate Christi.
- IV. Præcipui fines, ob quos Verbum caro factum.
- V. Quomodo perfectiones divinæ in Christi incarnatione elucescant.
- VI. Quid muneris attulerint Christo pastores.
- VII. Cur tam humilia symbola, infantiam, pannos, præsepe elegerit sibi Christus.
- VIII. Variis ostentis nuntiata orbi nativitas Christi.
- IX. Concio seu documenta Salvatoris nati.
- X. Mysteria.

CONCIO I.

QUANTUM HODIE MUNDO GAUDIUM ALLATUM.

I. Salvator. — II. Christus. — III. Dominus. — IV. Natus. — V. Vobis. — VI. Hodie.

THEMA.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum. Luc. II.

Hodierna festivitate plus quam aliis omnibus incipiunt sancti patres suas conciones a gaudio et jubilo. Ita Sanctus Augustinus: *Gaudeamus fratres, (ita orditur) lætentur et exultent gentes: S. Leo papa I. sic incipit: Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ, etc. et rursus alium sermonem hunc in modum inchoat: Exultemus in Domino, dilectissimi, et spirituali jucunditate lætemur, quia illuxit dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. S. Maximus episcopus ita intonat: Justissime, fratres, festivitate præsentis diei in omne se gaudium tutus ubique suscitavit mundus, quia hodie promissus a sæculis, universo orbi iudex natus est et redemptor. Nec immerito sane gaudent et gaudere jubentur omnes hodie Christiani per universum orbem. Sic enim monet vox de cælo ad nos allata et per angelum pronuntiata: Evangelizo vobis gaudium magnum. Sic monet etiam exemplum ipsorum angelorum, qui non tam in suo, quam nostro festo hodie canebant: Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus. Vident enim, ait S. Leo, serm. prædicto, cœlestem Jerusalem ex omnibus gentibus fabricari: de quo inenarrabili divinæ pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, cum tantum gaudeat sublimitas angelorum? Neque dicat aliquis, gaudium hoc dudum elapsam esse, aut solis pastoribus annuntiatum; subdidit enim an-*

CONCIONES AUCTARII.

- I. Christi nativitas cordi nostro imprimenda.
- II. Gaudium hodierni dici ex nato Salvatore.
- III. Quare Christus in terram pauper et humilis venerit.
- IV. Portenta incarnationis Christi.
- V. Gloria Christi nati qua in re cernatur.
- VI. Quæ obsequia Christo nato deferenda.

gelus: *Quod erit, omni populo. Quod si omni populo, ergo et nobis, et omnibus retro sæculis gaudium universale et publicum, gaudium perpetuum. Et propterea, Ecclesia, in hac solemnitate, eaque sola permittit esum carniæ, si incidat in die abstinentiæ, quia scilicet, ut ait S. Leo: Non est fas locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ. Sed quæ ratio et causa gaudii hodierni? Audiamus. Gaudii hujus publici causæ et rationes sex indicantur ab angelo verbis pene totidem; Natus est, vobis, hodie Salvator, qui est Christus Dominus.*

I. Quia Salvator est, quia hodie natus est, non qualiscumque sed perfectus, quia non a quibuscumque, sed a veris et a summis malis liberat. Plures alioqui vocati sunt salvatores ab hominibus, veluti apud Hebræos, qui Israeliticum populum a tyranni jugo liberarunt, uti IV. Reg. XIII. Judicum III. lidem apud Romanos vocabantur patres patriæ, qui rempublicam ab imminente hoste vel periculo liberarunt: apud Græcos qui mala, morbos et monstra propulsabant ab hominibus, ut Æsculapius et Hercules. Sed isti a privati tantum et exiguis malis urbes vel nationes aliquas liberarunt, nihilominus tanto in honore habiti fuere a gentilibus, ut communiter in deos ab ipsis referrentur. Judæi vero ardentissimis votis pro ejusmodi salvatoribus ad Deum clamaverunt, Judicum III. Atqui Salvator noster, non unam tantum nationem, nec a temporali tantum malo liberaturus erat, sed mundum universum et a malis æternis, quæ sola proprie et vere mala sunt. Itaque si gens aliqua vel civitas tota gaudio perfunditur, cum sortita est strenuum ducem, qui eam liberavit a servitute et tyrannide, uti videre erat in Græcis, qui postquam a Philippi Maced. regis jugo erepti et libertate donati sunt beneficio et opera Quinti Flamini, præ gaudio

cælum clamoribus impleverunt, ut aves superne volantes deciderint, Valerius Maximus, lib. IV. capit. ult. Similiter Hebræi cum beneficio Judithæ ab obsidione Holofernis fuere liberati, ubi erat *populus jucundus secundum faciem sanctorum* (ait Textus, c. XVI. lib. Judith) et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est; quanto magis nos gaudemus Christiani, cum nati sumus ejusmodi Salvatorem, qui non a servitute aut obsidione tyranni mortalis, sed ipsius dæmonis nos erepturus erat et libertati pristinæ, puta, primæ nostræ integritati, spei, saluti et patriæ restitutus? Nec vero tribus mensibus tantum durat hoc nostrum gaudium, sed usque ad finem mundi, quia eo usque durat nostra libertas.

II. Christus, hoc est, Messias ille dudum desideratus et tot votis expetitus, rex omnium potentissimus, a quo Judæi sperabant omnem felicitatem, et reductionem in terram lacte et melle manantem, nos vero Christiani speramus introductionem in regnum cæleste omnibus bonis abundans, quod prius clausum nobis aperuit. Hæc est illa terra promissa olim Judæis, lacte et melle manans, multo verius, quam Palæstina, quia abundat et redundat omni voluptate. Magnum nobis gaudium foret si sciremus adesse aliquem, qui in paradysum nos vellet ac posset introducere: adest modo Christus, qui in paradysum non terrestrem, sed cælestem potest ac vult nos introducere. Nam et viam nobis aperuit, prius obseratam, qua itur ad paradysum, pœnitentiam. Unde Christus ejusque præcursor ita inceperunt prædicare: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*, quasi diceret: Adest nunc, qui claves ejus regni habet, et brevi id aperiet, interim ad illud ambulate per pœnitentiam, quam velut auream portam aperui. Et hic est annus ille placabilis seu jubilæum continuum, quod venit nobis prædicare Christus, uti ipse de se testatur, Luc. IV. et Isaias de ipso, cap. LXI. Quanto gaudio perfusum arbitramini Maximilianum Austriacum, postea imperatorem ejus nominis: primum, quando in prærupta et inaccessa specu desperatus hærens vidit adrepentem sibi juvenem et audivit sibi dicentem: *Macte animo virtuteque tua, princeps, vivit et adest, qui te servare potest*: ut enim sol per densas clarior emergit, ita rediit principi animi serenitas, ut Stephanus Pigius, in Hercule Prodicio scribit. Atqui et nos aliquando eramus tali loco, nec via nobis patuit ad patriam cælestem. En vivit et adest hodie, qui nos servare potest et patriæ restituere; ille nos præibit, ille viam pandet et saxa amolietur, quemadmodum ut juvenis ille fecit Maximiliano. Quis ergo in

hoc die non reviviscat et totus in gaudium vertatur? Accepimus enim redemptorem, justificatorem, glorificatorem. Unde dixit S. Leo, sup. « Exultemus in Domino, dilectissimi, et spirituali jucunditate lætemur, quia illuxit dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. »

III. Dominus, id est, Deus, qui est absolute Dominus. Magnum etiam hinc affertur nobis gaudium. Monemur enim reconciliatum nobis esse Deum, qui hodie ingressus est nostram civitatem, non armatus, sed pacificus.

Quando rex Assuerus extendit virgam auream alicui deosculandam, signum erat clementiæ, Esther, IV. uti fecit Esther, cap. V. et XV. Idipsum hodie fecit Deus, cum virgam illam auream, Filium videlicet suum, de cælo ad nos extendit, ut eam deoscularemur, in signum clementiæ et pacis nobis impertitæ. Unde Psal. II. ait: *Osculamini Filium et adorare Filium*, (uti ex Hebræo vertunt aliqui) *ne quando irascatur Dominus*. Hujus virgæ summitatem a longe aspiciens Jacob, adoravit, Gen. XLVII. ad Hebr. XI. Nos vero in præsentem osculamur et adoramus in s. eucharistia. Quantum hoc nobis gaudium afferre debet?

Deinde, ostendit humanum genus summa gratia et honore affectum esse a Deo suo, utpote qui non tantum ingredi in ejus civitatem, sed etiam in ea cum illo habitare et domicilium suum ponere voluit. Sane si quis princeps arcem suam sedemque ordinariam desereret, et in civitatem aliquam suam immigraret, non dubium, quin civis magno eum applausu et jubilo exciperent. Omnes sibi gratularentur, omnibus in plateis publicæ lætitiæ signa ederent. Ingressus est hoc die princeps noster Deus in nostram civitatem, ut in medio nostrum habitaret. Hinc orbis pene totus hodie commotus est, et in gaudium solutus. Angeli canebant Deo laudes, cælum misit novam stellam insoliti splendoris sapientibus, eosque ex oriente evocavit ad præsepe, necnon ad alia ostenta, quæ alibi recensuimus. Terra pacem undique habuit, fontem olei Romæ produxit, vineam Engaddi floribus induit. Omnes creaturæ hodie recreatæ sunt, quia in adventu creatoris sui restauratæ, et quodammodo deificatæ sunt, et simul torpentia hominum corda excitare voluerunt ad hanc Christi dignationem digno amore et gratitudinem excipiendam.

IV. Natus est, homo scilicet, nobis similis et quidem infans, id quod humanum genus olim tam ardentem petierat per os Salomonis, Cant. VIII. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te agris et deosculer*

te, et jam me nemo despiciat? Quæ omnia obtinimus hodierno die. Primo, Deum fratrem, ejusdem scilicet naturæ et parentis Adæ, cujus et nos sumus; unde etiam nos ipsius patrem et universam hæreditatem nati sumus. Si enim fratres Dei sumus, ergo inter nos communio honorum et divisio hæreditatis. Non ei communicabimus, quæ ex patre nostro Adamo habemus, miserias, inquam nostras: ille nobis communicabit, quæ ex patre suo æterno habet, divitias gloriæ suæ. Quo gaudio impleretur mendicus, si quis ei nuntiaret fratrem ejus factum esse regem, aut pontificem? Jam se divitem, jam se magnum et beatum reputarat. Diceret enim: Ibo ego ad fratrem meum, et offeram illi centones meos, famem meam, contemptum meum: et ille me honorifice vestiet, largiter pascet, dignitate aliqua exaltabit. Idem nos ex illo die promittere nobis de Christo potuimus et possumus etiam nunc.

Secundo, sugentem ubera matris nostræ, Deiparæ, videlicet, quæ ob singularem amorem, protectionem et electionem suam omnium nostrum mater est. Ergo obtinimus Deum, non modo fratrem, sed etiam infantem, hoc est, placidum, mitem, humilem, mansuetum, gratiosum, qui etiam læsus instar infantis porrecto pomo facillimo placatur, omnibus donat et condonat, omnibus arridet, etc. In hominibus honores sæpe mutant mores, ut etiam frater fratrem agnoscere nolit. Non ita in fratre nostro, qui nequaquam inflatus venit, aut severus tantave majestate, ut præ timore aut reverentia, nemo eum alloqui, nemo ad eum auferret accedere. *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis*, inquit Isaias, cap. IX. et iterum, cap. XLII. *Calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet* (tametsi videlicet super hoc ambularet et pedem figeret) quia omnibus etiam desperatis parcere, cedere et saltem impendere satagebat.

Tertio, invenimus eum foris, id est, habitu visibili; non jam absconditum in sinu Patris et cæli penetralibus, nec amplius latentem sub velo figurarum, sed manifestatum, ita ut jam Deum nostrum agnoscere, alloqui, audire, videre, tangere possemus.

Quarto, deosculandum se nobis præbuit, hoc est, familiarissimum et dulcissimum, ita ut si velimus, omnem in eo dulcedinem et delectationem reperire possimus: uti facere solet mater, quæ filium dulcissimum toties osculatur, quoties inluetur, aut in ulnas accipit. Ita fecit Magdalena et haud dubie S. Simeon, eoque officii genere Christus delectatus est. Ita faciunt etiamnum sacerdotes, cum in missa toties osculantur altare et librum, quæ Christum representant. Idem

facere quotiescumque volunt, possunt fideles in communiones.

Quinto: *Jam nemo nos despicit*. Non angeli boni, qui se ex hac hora conservos nostros fatentur et adorari a nobis nolunt, uti in Apocal. videre est. Unde hodie sunt internuntii nostri: *Quæ enim cæli Rex*, ait S. Gregorius, in homil. super hæc festum, *terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit*. Non mali, qui jam a nobis vincuntur et luduntur, quos vincere consueverant et ludere.

V. Vobis; non sibi, non angelis, sed vobis hominibus natus est. Primo, quia in utilitatem et rem vestram, quæ sane maxima esse debet, quando propterea Deus tam longinquum iter suscepit et tam arduam rem fecit. Unde S. Prosper, sen. XXX. exclamat: *Quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?* Cui bene respondet S. Bernardus, serm. IV. super Missus est: « Magnificetur a nobis parvulus, inquit, magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. Parvulus, ait, natus est nobis, non sibi, non angelis. »

Secundo, quia modo Christus factus est vester, ita ut omnia quæ habet, novit, potest, vestra sint; ac si liceat dicere, ipse totus vester est, veluti mancipium vestrum. Quicquid enim lucrificat, quicquid possidet et possidebit, vestrum est, imò ipsum Deo quodammodo vendere, eoque salutem vestram comparare et debita redimere potestis. Mirum in modum lætantur victores, cum adversæ partis ducem aut regem ipsum ceperint, prætant enim se cum eo omnia cepisse. Nam obtinent ejus spolia, opes, cimelia; obtinent causam belli, seu bona, pro quibus pugnant; obtinent captivos suos, quos facile possunt redimere, cum rege eos velint commutare; obtinent partem regni ejus, quam libens offeret rex pro sua liberatione. Hac ratione vos, Christiani, possidetis hodie Deum, quanta hæc gaudii materia? Descripsit hoc vestrum gaudium Isa. cap. IX. *dudum prævisum, cum ait: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.*

VI. Hodie, primo, quia hodie, id est, statim vult et potest salvare. Est enim nobis Christus Salvator in præsentem, patribus olim erat in futuro, ideoque in limbo expectandus. *Defuncti sunt omnes isti*, ait apost. ad Hebr. XI. non acceptis promissionibus (de cælesti videlicet regno possidendo) *sed a longe eas aspicientes et salutantes* quomodo videlicet navigantes in mari salutant patriam, cum eam a longe incipiunt videre: vel quomodo lupus, ut est in proverbio, choream circa puteum agit, dum siti æstuans, aquam putei, quam hæ-

dire nequit, crebro saltem aspicit, ut vel aspectu ejus nonnihil refocilletur. Ita actum cum illis patribus. Audi unum ex illis, Davidem, suspirantem pro aqua: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam?* Arbitror Davidem in spiritu respexisse ad Christum, in sinu Deiparæ existentem in stabulo Bethlemitico, portæ vicino; quem velut aquam omnium dulcissimam et limpidissimam desiderabat bibere. Quod patres adeo desiderabant et a longe aspiciabant, id nos hodie possidemus.

Secundo, quia noctem in diem convertit, in diem, inquam, perpetuum. Erat quidem nox, cum natus est Salvator et pastoribus annuntiatus (*custodiebant enim vigilias noctis*, Luc. II.) hodie tamen, aiunt angeli, non hac nocte, quia: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, dies, inquam, gratiæ, in qua jam clare videmus, quomodo nos, ut salvi siamus, oporteat ambulare: ad quod indicandum, *claritas Dei circumfulsit tunc pastores*, Luc. II. Idem prædixit Isaias, cap. IX. *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*: et Oseas, cap. IX. *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*. Ergo ut illucescente die fugiant in tænebra sua bestię rapaces, prodit contra homo ad laborem suum; ita decet Christianos, fugatis vitiorum tenebris, virtutibus studere, juxta apostoli monitum ad Rom. XXIII. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus*.

CONCIO II.

TITULI SALVATORIS NATI.

I. Admirabilis. — II. Consiliarius. — III. Deus. — IV. Fortis. — V. Pater futuri sæculi. — VI. Princeps pacis.

THEMA.

Reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum. Luc. II.

Fertur Archimedes inventa permixti auri atque argenti ratione e balneo nudus præ gaudio cucurrisse domum, clamans: *Inveni, inveni*. Simili vel majori potius gaudio repletos audimus in hodierno evangelio pastores, postquam in præsepio invenerunt infantem, ab angelis sibi ostensum: *Reversi enim sunt*, inquit S. Lucas, *glorificantes et laudantes Deum*, quasi dicerent: *Invenimus, invenimus*. Sed dicite nobis pastores, cur adeo exultatis? Quid vidistis? Quid invenistis? Respondent, se invenisse mirabilem et omnibus retro sæculis inauditam auri atque argenti, hoc est,

divinæ naturæ cum humana permixtionem, seu verius conjunctionem, qua intime sibi unitæ, ab invicem tamen discretæ manent: invenerunt enim Deum hominem, positum in præsepio: invenerunt Emmanuelem, id est, nobiscum Deum. Quod si clarius adhuc nosse volumus, quid sit Deus homo, id nobis exponit Isaias, cap. IX. cum sex honorum titulis eum depingit, dicens: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Merito igitur exultastis, o pastores, qui hunc talem et tantum invenistis, sed et nos vobiscum jure exultamus, quia et nobis invenistis. Nunc vero convertamur ad eum, qui inventus est, ut sciamus quis et quantus sit.

I. Admirabilis est, nec una ratione, primo, in incarnatione, ea si quidem tantum opus Dei est, ut teste D. Thoma, part. I. quæst. XXV. art. VI. non possit Deus facere melius aut majus; quia non potest facere meliorem hominem, quam si Deus homo, nec majorem conjunctionem quam divinæ et humanæ naturæ, infimi et summi. *Plus distat Deus et homo, quam universum et nihil*, inquit Franciscus Mayro, doctor Paris. qui illuminati cognonem meruit, in sermone de annuntiatione: *Quia non adeo distat nihil a finito quam finitum ab infinito*. Unde concludit, opus incarnationis majus esse opere creationis. Itaque duæ naturæ distantissimæ, divina et humana junctæ sunt in una persona, eamque constituunt, Deum et hominem. Unde Deus: *Invisibilis suis*, inquit S. Leo, serm. II. de nativitate, *visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, cœpit esse ex tempore; universitatis Dominus, servilem formam obumbratæ majestatis dignitate suscepit; impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere*. » Similia habet S. Bern. serm. II. super Missus est: *« Videas, inquit, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari; Deum denique lactentem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem, etc. »*

Secundo, in conceptione et nativitate: quia mira Spiritus sancti obumbratione conceptus, matre Virgine natus est, dum clauso ejus utero in lucem prodit. Ad hæc infans omni sapientia præditus fuit, ejusque anima, protinus ut creata fuit, Deum vidit. Quæ majora miracula vidit unquam orbis? Vidit olim solem stare tempore Josue, retrogredi tempore Ezechiae: nunc videt Deum seipsum exinanientem et ad terram resurgentem. Vidit Moy-

sis virgam in serpentem mutatam: videt nunc Deum in hominem peccatoribus similem mutatam. Vidit olim Eliam in cœlum ascendere: videt nunc humanam naturam ascendere ad deitatem. Vidit virgam Aaron sine cultura florentem: videt nunc virgam Jesse absque viri opera florem Christum profertentem. Vidit rubum incombustum: videt nunc virginitatem cum maternitate conservatam.

Tertio, in operibus suis, vita, miraculis, doctrina, passione, gentium vocatione (uti pastorum per angelos, magorum per stellam, gentium per apostolos solum duodenos, etc.)

Quarto, in sanctis suis quorum corda tangens, mirum in modum immutat, extollit et virtutibus adeo perficit, ut mundus eos miretur colatque velut terrestres deos, utpote magnorum miraculorum patratore, et mirabilium virtutum cultores, mira Dei gratia (quæ fere in unoquoque propriam quandam excellentiam habet) coruscantes. Denique, S. Bernardus, serm. II. de circumcis. ait: *« Numquid vere admirabile eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus, dolere, unde letabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur mirabilia. »* Hæc Bernardus.

II. Consiliarius primo, quia est sapientia Dei Patris omnia gubernans ac dirigens, mundi rector, angelorum magister, etc. Sedens in cœlo velut in cathedra ad docendos homines, si intenti esse velint, uti intellexit etiam scripsitque Pilato in Epinomide.

Secundo, quia secundum humanam etiam naturam vidit Deum semper, et requievit super eum spiritus sapientiæ, consilii, etc. Vidit ergo omnia Dei consilia circa sæculum præsens et futurum, circa angelos et homines, electos et reprobos.

Tertio, quia sapientissimo consilio peregit opus redemptionis humanæ et æconomiam salutis nostræ, in hominum instructione, novæ legis sanctione, diabolicarum fraudum detectione, eucharistiæ institutione, gentium vocatione, et Judæorum reprobatione, virtutum implantatione, et vitiorum eradicatione.

Quarto, quia bonis consiliis homines ad salutem dirigit, necnon hominum consiliis dirigendis ad eundem finem præest. Ipse est, qui verbo et exemplo docuit sectari evangelica consilia, castitatem, obedientiam et paupertatem: ipse, qui eadem inspiravit tot hominum millibus, quos per eorum sequelam ad perfectionem et vitæ sanctitatem perduxit miro compendio, et perducit ho-

dieque. Deinde, dedit nobis optima consilia fugiendi peccata et gehennam, sectandi virtutes, Deum et vitam æternam, siquidem suo exemplo et doctrina docuit nos *reprobare malum, et eligere bonum*, Isa. VII. Docuit inquam malum esse voluptates corporis, opes, honores: bonum vero afflictionem, paupertatem, contemptum: quia hæc elegit, illa reprobavit infans sapientissimus. Consuluit suo exemplo, ut in mundi hujus mensa quæramus sedere ultimo loco, quo nimirum audiamus: *Amice, ascende superius*, quemadmodum et ipse veniens in mundum, recubuit in stabulo, ac denique in latronum medio: unde postea ascendit super omnes cœlos et sedet a dextris Dei. Hęc ergo non est optimum consilium, acquirendi summum in cœlo locum? Denique, in rebus dubiis et gravibus optimus noster consiliarius est si eum requiramus et consulamus, quod sane imprimis facere deberent magistratus et consiliarii principum, qui si ante consultationes suas prius os domini interrogarent, precando et audiendo s. missam more veterum, non tam lignea consilia cuderent, quam sæpe experiuntur multi. Deinde, quisquis es, si in dubio hæres, nesciens quid agendum: adi hunc *consiliarium*, seu ut Septuaginta habent *magni consilii angelum*; si de statu vitæ deliberas, implora hunc consiliarium; si in periculis vel tentatione es, accurre ad hunc consiliarium. Fecit hoc Josaphat regis filius, qui cum fraudulenter, a femina gentili, patris instinctu tentaretur, ut ejus amplexu fruere, adita sponsione, fore eam tunc Christianam, videret proinde, ne hanc animam perderet, quam tam facile lucrari posset; hæsit aliquandiu perplexus, sed conversus ad orationem cognovit fraudem serpentis et astum patris; itaque tentationem vicit, ut in ejus vita, apud Dan. c. XXX.

III. Deus, Hebr. *El*, quod est Dei nomen. Docet ergo Isaias Christum esse verum Deum, illum videlicet, de quo paulo ante, c. VII. dixerat: *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quod in Christo impletum esse scribit S. Matt. c. I. quia Christus revera fuit nobiscum *El*, id est, Deus. Est autem Christus Emmanuel, seu nobiscum Deus. Primo, in sancta eucharistia, ubi vere adhuc nobiscum est, cum sua divinitate et humanitate, sicut olim fuit in terris, et nunc est in cœlis, et quotidie renovatur mysterium incarnationis ejus. Per verba enim consecrationis, vere et realiter ut transubstantiatur panis, ita producit et quasi generatur Christus in altari adeo potenter et efficaciter, ut si Christus necdum esset incarnatus, per verba consecrationis incarnaretur, corpusque humanum assumeret, uti graves theologi docent. Sacerdos